



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De illis, qui prius sunt justis, & postea impii efficiuntur, & è converso, 29

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum; ut si etiam usque ad cælos ascenderint, & caput eorum nubes tetigerit, & inter sydera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinum in fine perdentur.

## CAPVT XXIX.

*De illis, qui prius sunt justī, & postea impii efficiuntur, & è converso.*

1. **M**agna sunt hæc judicia tua, Domine Deus, iudex iuste & fortis; qui iudicas æquitatem, & inscrutabilia facis & profunda: quæ cum confidero, contremiscunt omnia ossa mea. Quoniam non securatur homo vivens super terram, ut serviamus tibi pie & caste cunctis diebus vitæ nostræ, in timore, & exulemus tibi cum tremore: ut non sit servitium sine timore, neque gaudium sine tremore; & non gloriatur accinctus æque, ut discinctus; neque gloriatur ante te omnis caro, sed paveſcat & contremiscat à facie tua: cum ignoret homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed in futurum omnia reservantur incerta.

2. Vidimus enim multos, Domine, & audivimus à patribus nostris (quod utique sine magno tremore non reſcolo, sine multo timore non confiteor) ascendisse primitus quodammodo usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyſſos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus, stellas de cœlo cecidisse, ab impetu ferientis caudæ draconis: & eos, qui jacebant in pul-  
vere

vere terræ, à facie sublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter adscendisse. Vidimus vivos, morientes, & mortuos à morte surgentes: & eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lucem processisse: quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum; filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores.

3. Quare autem ista omnia, nisi quia in montem illum ascenderunt, in quem primus ascendit Angelus, & descendit diabolus? Quos autem prædestinasti, ipsos & vocasti, & sanctificasti, & mundasti, ut dignum habitaculum sint tuæ majestatis: cum quibus & in quibus sint tibi delitiæ sanctæ & mundæ, in quibus tu delectaris, & lætificas juventutem eorum: habitans cum eis in memoria eorum, ut ipsi templum sanctum tuum sint, quod magnæ dignitatis, & commendatio est humanitatis nostræ.

### C A P V T XXX.

*Quod Anima fidelis sit sanctuarium Dei.*

I. **A** Nima enim, quam creasti, non de te, sed per verbum tuum, non ex qualibet elementorum materia, sed ex nihilo; quæ quidem rationalis, intellectualis, spiritalis semper vivens, semper in motu; (quam signasti lumine vultus tui, & consecrasti virtute lavacri tui;) ita facta est capax majestatis tuæ, quod à te solo & à nullo alio possit impleri. Quando autem te habet, plenum est